



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Septima Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



## Septima Septembris.

1<sup>o</sup>. De sancta Madelberta, virgine Malbodiensi.

*Ex officio Malbodiensis & Leodiensis ecclesiarum.*

**M** Albodio monasterio, natalis S. MADELBERTÆ virginis: quæ in prædicto monasterio tertia, sanctè præfuit annis nouem. Prima enim fuit matertera eius sancta Aldegundis, loci fundatrix. Secunda, soror eius beata Alde-trudis. Cui ipsa successit. Habet nouem lectiones Malbodij, vbi præfuit: & Leodij, vbi translata quiescit.

2<sup>o</sup>. Obitus Iacobi Auesnensis.

*Ex Guilhelmo Neubrigensi lib. 4. cap. 21.  
rerum Anglicarum.*

**A** Nno gratiæ millesimo centesimo nonagesimo primo apud Assur, nobilium Turcorum strages, tanta quantâ ab annis retro quadraginta, vt fertur, vno die Saladinus expertus non fuerat. De nostris verò occubuit Iacobus de Auenijs, vir planè optimus, & meritis præcellentibus, vniuerso exercitui Christiano charissimus, qui eiusdem exercitus præclara per annos aliquot columna extiterat, atque in proposito piè suscepto, syncerè ac strenuè perseuerans, nec leuem vnquam maculam dederat in gloriam suam. Cuius profectò laudabili deuotioni diuino munere retributum est, vt Omnipotentis Dei obsequio gloriose occumberet, & mediante discrimine breui temporalem felicitatem, vt pium est credere, æternâ mutaret. Denique luxit vehementer cum omni exercitu Rex Anglorum, assumptum tanquam emeritum à Rege Angelorum. Hæc Guilhelmus Neubrigensis.

Ioannes Iperius abbas, notat eum vni Macha-



Septemb. 8.

NATALES

bæorum comparandum Iacobus Meierus scribit, cum Richardus rex Anglorum ad recuperandam ciuitatem sanctam exercitum duceret, eum cum Hannonijs suis, Flandris, & Brabantis, in postrema acie Saladini hostis impetum egregie sustinuisse, suaque morte victoriam emisse, ingenti edita barbarorum cæde.

### Octaua Septembris.

*De translatis sancti Adriani reliquijs.*

*Ex libris & informatione Gerardi-Montensium.*

**N**icomediæ, natalis sancti Adriani martyris, qui post multa supplicia, martyrium crucifragio consummauit, sub Diocletiano Augusto. Huius martyris reliquiæ, vt multorum synteritas attestatur, allatæ sunt trans-montanis partibus in villam <sup>a</sup> *Rauli-court*, Gerald-montensibus vicinam. Quæ ob merita & beneficia martyris, amplissimis est terminis dilatata, & ibidem ecclesia præbendarijs inuestita Canonicis. Sed cum peccatis hominum exigentibus, villæ & oppida destruerentur, ecclesiæ etiam prophana temeritate spoliarentur, Rotnacensis ecclesia suo sancto Hermete est priuata, diuina autem clementia sancto Adriano tutissimum receptaculum prouidit. Unde tandem furto ereptus est à quodam Eubaldo presbytero. Qui patronum venalem fecit in Gerald-monte viginti quatuor marcis. Cum autem monasterium & populus ad tantum pretium expauescerent, cum thesauro Bruxellam recessit. Vnus ex plebe Theodoricus, dicebat se libentius crassam vaccam emturum, quam ossa arida. Qui paulo